

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Recipere pietate & utiliter serviant. Quapropter te per Christum oro, ut ipsos commendatos habeas. Dicitur non potest, quantum letatus sit, postquam intellexit benevolentiam, quod eos ad te recipere dignatus fueris. Nec senties hominem ingratum. Qua de re ut ad illum scribas, oro, ut intelligat, me ejus causa etiam diligenter scripsisse. Filii ipsius apud nos modeste vixerunt, ideo non dubito idem etiam apud vos praestituros. Quod ad proximas tuas literas attinet, vehementer letos, scriptum tuum Senatui oblatum & benevole acceptum, & te, quod maxime gaudeo, nunc esse bono & otioso animo. Quid enim te in causa bona cruciaries, mitte vadere, sicut vadit, quia vult vadere, sicut vadit. Tu non es Atlas, qui tuis humeris Ecclesiam sustineas. Et pedes tui nimis debiles, quam ut tantum onus ferre queat. Officium postquam feceris, curam & sollicitudinem tuam jactabis supra Dominum, & ipse faciet. Dominus JESUS te Ecclesiae & familiae tuae diu incolumem conservet, nec est, quod sollicitus sis propter inquietudinem tuorum Adversariorum. Tumultuosa res est impietas, quia nulla pax impiis, qui instar maris perpetui agitantur, quoniam spiritus malus non sinet eos quietescere. Sed Spiritus Sanctus est quietus Spiritus, qui omnium corda reddit quieta. Filiis tuis honorem publici testimonii ex animo gratulor, & DEUM oro, ut ad laudem nominis sui & Ecclesiae atque ipsorum salutem cedat, Amen. Ego penè absolvi refutationem omnium argumentorum, quae in Disputatione filii Philippi contra Theses vestras de Majestate Christi & Cena Domini allata sunt, quae etiam curabo Typis excudi. Bene & feliciter vale. Raptim Tubingae, Calendis Julii, 1571.

Uxorem Tuam piissimam mea reverenter salutat. D. Pappo dicas, me brevi illa ad literas suas responsurum.

Tuus ex animo letus

Jacobus Andreæ.

LVI.

S. in Domino.

Accepi binas à te literas, suavissime M. Philippe; alteras quas Spießius attulit, alteras à D. D. Sulzeri affine hodie, quem tamen nondum vidi. Cecepi tibi prolixè respondere, sed jam opinione mea citius abitum parat Spießius. Itaque per alterum illum copiosas à me tu fraterque tuus expectabit. D. Illyrico D. D. Cocci literas tradidi, & te excusavi. Excusationem accepit, & cras una mecum responsurus est D. Rectori. Dn. Sturmii, esudatis molestiis & vexationibus in Thermis post ferias decrevit redire ad officium. Publica significatione se denuò Rectorem

rem appellavit, tametsi à nemine rogatus. Habes ergo refutationem illius partis Epistolæ. Rectoris officium non possum facere, nec interpretis. D. Planerus, integerrimus vir, vobis sua officia peramanter offert: sed de hoc & de cæteris proxime plura. Vide, quantum mihi de te pollicear, quod tam neglectim scribo; sed hoc amicitia est. Fratri, M. Erasmo, me excuses velim in aliquos saltem dies. Hero vestro, incomparabili viro, ex me observantia & studii plenissimam salutem. Ei quoque decrevi, ut à me coram petiit, scribere. Jam vale, & me amare perge, tametsi eum sentio amorem tuum esse, ut non facile major possit existere. Argentorato, postrid. Ulrici, 71.

Tuus totus

Pappus.



LVII.

Salutem in Christo Jesu. Reverende & Clarissime

Vir, Domine & frater honorande.

Literas tuas eodem die accepi, quo iter Mompelgardia sum ingressus. Quoniam autem spero, me non diu Mompelgardi commoraturum, optarim te prius Argentorati convenire, quam iter in patriam susciperes. Ubi & de causa D. Illyrici & Piscatoris tecum agam. Fortassis ante sextum diem Augusti me Argentorati videbis. Ideo si ulla ratione fieri potest, susceptum iter ad aliquot, eosque paucos, dies differas. Si in reditu Piscatorem Argentorati invenero, agam coram, ut intelligatis me & veritatem & auctoritatem vestram tueri velle. Sin Tubingæ in illum incidero, idem agam, quod reipsa vobis testatum facere volo. Disputationem meam nuper habitam D. D. Herbrandus me inscio ad Te misit. Spero, illam & tibi & D. Illyrico satisfacturam. Et quoniam Tu Illyrico hortator fuisti semper, ut phrasin abjiciat, quæ plurimos offendit, & ipsum in gravissimam suspicionem hæreseos adduxit, procul dubio nunc te audiet. Qua de re Argentorati brevi, ut spero, coram. Bene & feliciter vale. Raptim Basileæ, 17. Julii, 1571.

Tuus ex animo totus frater

Jacobus Andreæ.

LVIII.

S Qui has perfert, Bernensis scholæ Professor est, M. Benedictus Aretius, Bernatum in Academia vestra quondam alumnus. Vir est pius, & moderati ingenii.

Bbb

geni.